Caut

Dominicus diuina paciencia Abbas Monastery Claretumbe als de Mogila Ordinis Cisterciensis Dyocesis Judex et Conseruator Jurium et Priuilegiorum Venerabilium Honorabilium et Circumspectorum virorum
dominorum Rectoris .. Doctorum Magistrorum ceterorumque Scolarium Alme Vniuersitatis Studij Cracouien vnacum infrascriptis in hac parte collegis cum illa clausula quatenus vos aut vnus vestrum per vos aut alium vel alios etc.
Per Sedem Apostolicam specialiter deputatus Venerabili viro Magistro Andree de Buk Sacre Theologie Professore Custodi Ecclesie Collegiate Sancti Floriani in Clepars als Florencia extra muros Cracouien Salutem in domino
et sinceram caritatem. Litteras Sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Martini diuina prouidencia pape Quinti eius vera Bulla plumbea in Cordula canapi more Curie Romane dependente Dudum Venerabili et
Religioso viro domino Paulo Abbati dicti Monastery Claretumbe predecessori nostro presentatas sanas saluas et integras non rasas non abolitas non viciatas non cancellatas nec in aliqua sui parte suspectas sed omni prorsus
vicio et suspicione carentes nobis pro parte prefatorum Venerabilium Honorabilium et Circumspectorum virorum dominorum Rectoris Doctorum Magistrorum et Scolarium Vniuersitatis Studij Cracouien presentatas coram Notario
publico et testibus ydoneis reproductas et representatas nos cum ea qua decuit reuerencia noueritis recepisse huiusmodi sub tenore Martinus Episcopus seruus seruorum dei Dilectis filiis .. Abbati Monastery Sancte Marie
in Claratumba Cracouien Dyocesis et .. Gneznen ac .. Sancti Johannis Wratislauien Ecclesiarum Decanis Salutem et Apostolicam benedictionem Et si cunctis quos Clericalis status includit aduersus lesiones quorumcumque conatus ex
iniuncte fidelis seruitutis Officio protinus assistere debeamus affectibus Illis digne qui virtutum sacre sciencie studijs per que et honorabilium bonorum noticia panditur iusticie cultus tam gencium quam naturale Jus equa mediante rectitudine
stabilitur fundamentum vanis oblectacionibus semotis insistere non desistunt potissime nos decet conseruacionis adesse presidijs idque totis efficere curis vt eos quietis et tranquillitatis munitos presidio a cunctis oppressionibus atque
turbacionibus releuemus Sane dilectorum filiorum Rectoris et vniuersorum Doctorum Magistrorum et Scolarium Vniuersitatis Studij Cracouien conquestione percepimus quod nonnulli Archiepiscopi Episcopi aliique Ecclesiarum Prelati
et Clerici ac Ecclesiastice persone tam Religiose quam Seculares necnon duces Marchiones Comites Barones Nobiles Milites et Laici Communia Ciuitatum Vniuersitates Opidorum Castrorum villarum et aliorum locorum
et alie singulares persone ciuitatum et dyocesis et aliarum parcium diuersarum occuparunt et occupari fecerunt Castra villas et alia loca Terras domos possessiones iura et jurisdicciones necnon fructus census redditus et prouentus Rectoris
Doctorum Magistrorum ac Scolarium predictorum et nonnulla alia bona mobilia et immobilia spiritualia et temporalia ad Rectorem Doctores Magistros et Scolares predictos spectantia et ea detinent indebite occupata seu ea detinentibus prestant
auxilium consilium vel fauorem Nonnulli eciam Ciuitatum et dyocesis ac parcium predictarum qui nomen domini in vacuum recipere non formidant eisdem Rectori Doctoribus Magistris et Scolaribus super predictis Castris villis
et locis alijs Terris domibus possessionibus iuribus et Jurisdiccionibus fructibus censibus redditibus et prouentibus eorundem et quibuscumque alijs bonis mobilibus et immobilibus spiritualibus et temporalibus et alijs rebus ad eosdem
Rectorem Doctores Magistros et Scolares spectantibus multiplices molestias et iniurias inferunt et iacturas Quare dicti Rector Doctores Magistri et Scolares nobis humiliter supplicarunt vt cum eisdem valde reddatur
difficile pro singulis querelis ad Apostolicam sedem habere recursum prouidere ipsis super hoc paterna diligencia curaremus Nos igitur aduersus occupatores detentores presumptores molestatores et iniuriatores huiusmodi illo volentes eisdem Rectori
Doctoribus Magistris et Scolaribus remedio subuenire per quod ipsorum compescatur temeritas et alijs aditus committendi similia precludatur Discrecioni vestre per Apostolica scripta mandamus quatenus vos vel duo aut vnus vestrum
per vos seu alium vel alios eciam si sint extra loca in quibus deputati estis conseruatores et Judices prefatis Rectori Doctoribus Magistris et Scolaribus efficacis defensionis presidio assistentes non permittatis eosdem super hijs et quibuslibet
alijs bonis et iuribus ad Rectorem Doctores Magistros et Scolares predictos spectantibus ab eisdem vel quibusuis alijs indebite molestari vel eis grauamina vel dampna seu iniurias irrogari facturi dictis Rectori Doctoribus Magistris
et Scolaribus cum ab eis vel procuratoribus suis aut eorum aliquo fueritis requisiti de predictis et alijs personis quibuslibet super restitucione huiusmodi Castrorum villarum Terrarum et aliorum locorum iurisdiccionum iurium et bonorum mobilium
et immobilium redditum quoque et prouentuum ac aliorum quorumcumque bonorum necnon de quibuslibet molestijs iniurijs atque dampnis presentibus et futuris in illis videlicet que judicialem requirunt indaginem summarie de plano sine strepitu
et figura Judicij in alijs vero prout qualitas eorum exegerit iusticie complementum occupatores seu detentores presumptores molestatores et iniuriatores huiusmodi necnon contradictores quoslibet et rebelles cuiuscumque dignitatis status gradus
ordinis vel condicionis extiterint quandocumque et quocienscumque expedierit auctoritate nostra per censuram Ecclesiasticam appellacione postposita compescendo inuocato ad hoc si opus fuerit brachij secularis auxilio Non obstantibus tam
felicis recordacionis Bonifacij pape viij predecessoris nostri in quibus cauetur Ne aliquis extra suam Ciuitatem et dyocesim nisi in certis exceptis casibus et in illis vltra vnam dietam a fine sue dyocesis ad judicium euocetur Seu
ne Judices et Conseruatores a sede predicta deputati extra Ciuitatem et dyocesim in quibus deputati fuerint contra quoscumque procedere siue alij vel alijs vices suas committere aut aliquos vltra vnam dietam a fine dyocesis
eorundem trahere presumant dummodo vltra duas dietas aliquis auctoritate presencium non trahatur Seu quod de alijs quam de manifestis iniurijs et violencijs ac alijs que judicialem requirunt indaginem penis in eos si secus egerint
et in id procurantes adiectis Conseruatores se nullatenus intromittant quam alijs quibuscumque constitucionibus a predecessoribus nostris Romanis Pontificibus tam de judicibus delegatis et Conseruatoribus quam personis vltra certum numerum ad
judicium non vocandis aut alijs editis que vestre possent in hac parte Jurisdiccioni aut potestati eiusque libero exercicio quomodolibet obuiare Seu si aliquibus communiter vel diuisim a predicta sit sede Apostolica indultum quod excommunicari
suspendi vel interdici seu vltra vel extra certa loca ad judicium euocari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi et eorum personis locis ordinibus et nominibus proprijs mencionem et
qualibet alia dicte sedis indulgencia generali vel speciali cuiuscumque tenoris existat per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam vestre jurisdiccionis explicacio in hac parte valeat quomodolibet impediri et de qua cuiusque toto
tenore de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mencio specialis Ceterum volumus et auctoritate Apostolica decernimus quod quilibet vestrum prosequi valeat articulum eciam per alium inchoatum quamuis idem inchoans nullo fuerit
impedimento Canonico prepeditus Quodque a data presencium sit vobis et vnicuique vestrum in premissis omnibus et eorum singulis ceptis et non ceptis presentibus et futuris perpetuata potestas et Jurisdiccio attributa vt eo vigore eaque firmitate
possitis in premissis omnibus ceptis et non inceptis presentibus et futuris predictis procedere ac si predicta omnia et singula coram nobis cepta fuissent et Jurisdiccio vestra et cuiuslibet vestrum in predictis omnibus et singulis per cita
cionem vel alium modum legittimum perpetuata extitisset Constitucione predicta super Conseruatoribus et alia qualibet in contrarium edita non obstante Datum Rome apud Sanctos Apostolos xiiij kl. May Pontificatus nostri Anno duodecimo
Postquarumquidem litterarum Conseruatorij reproduccionem et representacionem et per nos receptarum pro parte dictorum Rectoris Doctorum Magistrorum et Scolarium fuimus cum debita instancia requisiti quatenus ad execucionem earundem
procedere litterasque citacionis et alias oportunas contra et aduersus quaslibet personas prefatis Rectori Doctoribus Magistris et Scolaribus necnon quibuscumque personis Ecclesiasticis Sancti Floriani extra muros Cracouien iniuriantes
in omnibus et singulis causis Ecclesie predicte Sancti Floriani iuxta vim formam et tenorem sepedictarum litterarum Conseruatorij dare et decernere dignaremur Nos itaque Apostolica mandata nobis in hac parte directa vt
tenemur exequi iusticiamque ministrare diligenter volentes attento quod iusta petentibus non est denegandus assensus Ideo huiusmodi litteras oportunas decreuimus fore dandas Sed quia alijs arduis nostri Monastery prepediti negocijs
huiusmodi cause et causis dicte Ecclesie Sancti Floriani personaliter interesse ac ipsis preesse non valentes Ideo huiusmodi causam et causas dicte Ecclesie Sancti Floriani vobis Venerabili viro Magistro Andree de Buk Sacre Theologie
Professori Custodi Ecclesie predicte Sancti Floriani de cuius legalitate plenam in domino confidimus causam et causas huiusmodi Ecclesie Sancti Floriani omnes et singulas generales et speciales ceptas et non inceptas quibuscumque
personis Ecclesiasticis vel Secularibus secundum vim et continenciam litterarum Conseruatorij Apostolicarum prout nobis sunt directe vices nostras plenarias committimus et subdelegamus cum omnibus earum emergentibus incidentibus dependentibus
et connexis audiendum tractandum et fine debito terminandum tamdiu donec eas ad nos duxerimus reuocandam aut reuocandas Mandantes vobis in virtute sancte obediencie et sub excommunicacionis pena quam in vos trina canonica
dictarum Canonica monicione premissa ferimus in hijs scriptis nisi feceritis ea que vobis in hac parte precipimus et mandamus Quatenus in causa et causis huiusmodi vocatis hijs qui fuerint euocandi et auditis hinc inde propositis quod
iustum fuerit decernatis facientes quicquid decreueritis per censuram Ecclesiasticam secundum easdem litteras Apostolicas firmiter obseruare Testes vero qui nominati fuerint si se gracia odio fauore timore vel amore subtraxerint
testimonium veritati simili censura cogatis perhibere In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium premissorum presentes nostras Subdelegacionis litteras per discretum Johannem Johannis de Florencia als Clepars Clericum
Cracouien dyocesis publicum Imperiali auctoritate Notarium et cause huiusmodi coram nobis scribam scribi et publicari nostrique Sigilli appensione iussimus communiri Actum et Datum Cracouie in Curia Monastery predicti Claretumbe
Cracouien dyocesis Sub Anno Natiuitatis domini Millesimo Quadringentesimo tricesimo nono Indiccione secunda Pontificatus Sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Eugenij pape Quarti Anno ipsius nono die Jouis nona mensis
Julij hora vesperorum in pallacio domus Monastery antedicti Presentibus Venerabili viro Magistro Jacobo de Paradiso Sacre Theologie Professore et religioso Thoma fratre prefati Ordinis Cisterciensis necnon Nobilibus Mathia Szegadlo
de przebislawice et Stanislao mississcho testibus circa premissa

1439.

1439